



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

245. An, & qualiter per resignationem revocetur Procurator constitutus ad lites & negotia ratione illius beneficii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

offic. procons. Extray. injuncta. & c. ne pro defectu. de elect. & quamdiu quis sustinetur in officio, administrare potest, ut Rebuff. loc. supra cit. Veruntamen Barb. l. c. si loquamur de possessione civili & iusta, tradit eam usque ad possessionem captam à resignatario durare non posse; cum resignans amisso titulo iustam & civilem possessionem amittat; titulum verò perdat, simul ac jus quæsitum resignatario, quod contingit ante captam ab eo possessionem.

Questio 244. An, qui solum fecit mandatum ad resignandum, quod non fuit effectivatum, privetur possessione beneficii?

Respondeo negative: Tond. qq. benef. p. 3. c. 188. n. 4. ubi; quod quando resignatio consistit in solo mandato ad resignandum, nec ulterius progreditur, quia procurator non fuit usus mandato, nec consensum præstitit, remanet in suo beneficio, qui tale mandatum fecit, & ideo licite sui beneficii fructus (inter quos est collatio competens tali beneficiato) percipit, &c. quos licite non perciperet, si privatus esset possessione beneficii.

Questio 245. An, & qualiter per resignationem revocetur procurator constitutus ad lites & negotia ratione illius beneficii?

1. **R**espondeo: Per resignationem perfectam & sortitam effectum suum censei quoque revocatum talem procuratorem, Paris. l. 1. q. 5. a. n. 42. dicens hanc conclusionem esse communiter receptam. argumento Clement. ultima. de procurat. disponens procuratorem revocari per mortem mandantis; quippe quæ clementia quoque in morte civili (qualiter mortuus censeatur resignans) ob paritatem rationis locum habet, uti id decisum fuisse à Rota, testantur Mandosius in addit. ad Roman. conf. 374. v. mortuus, Sarnens. de annal. q. 62. apud Paris. n. 44. & tenent plures citati n. 43. cessat siquidem mandatum procuratorium cessante causâ mandati, c. si pauper clericus. de prebend. in 6. per resignationem autem admissam cessat procuratoris causa, quæ erat defensio juris renunciati, Paris. loc. cit. n. 44. Item cessat mandatum procuratorium, cessante ratione interesse constituentis. l. si remunerandi. §. sicut &. §. si tali mandavero. ff. mandati. per resignationem autem cessat interesse, quod resignans habebat in prosecutione juris. Paris. ibid. Item cessat mandatum morte, etiam re non integrâ, ubi non est, qui ut successor representat personam mandantis; l. 1. c. de act. & obseq. l. si per epistolam. ff. de acquir. hered. Beneficiato autem resignante non invenitur successor in specie; cum in beneficiis non succedatur juxta c. ad extirpandum. de filii presbyterorum. Paris. ibidem. n. 45. Unde jam, si post factam resignationem lata fuerit sententia in causâ talis beneficii, procurator constitutus ad lites circa illud non poterit appellare; & si appellatio fuerit interposita, ea intelligitur nulla ex defectu mandati. Et quia appellatio interposita nomine illius, cujus non interest (qualiter per cessionem cessat interesse resignantis, quod habebat in beneficio) est nulla juxta c. non solent. & c. cum inter. de elect. Paris. n. 48. & 49.

2. Limitanda tamen responsio primò: Nisi resignans reservasset sibi fructus aut regressum; nam in hoc casu, cum non cesseret interesse, maximè si mansit adhuc in detentatione, adeoque quoad

hoc suum interesse non censeatur planè mortuus quoad beneficium resignatum, ut Sarnens. ad reg. de annal. q. 62. non expiravit mandatum per resignationem, Paris. n. 50. & 51.

3. Secundò: Nisi resignans mansisset in possessione; quia cum tunc quoque duret illius interesse, & cum remanserit in possessione, mors civilis non operatur eundem effectum, quem naturalis, ut Bart. in l. ex ea parte. §. insula. ff. de verborum oblig. & Baldus in l. Deo nobis. de Episc. & Clericis per consequens etiam durat mandatum. Paris. n. 52.

4. Tertio: Nisi resignatio fuerit facta post litem contestatam quoad fructus & expensas; maximè si resignans mansisset in detentatione. Paris. n. 53. dicens, sic resolorum in Valentin. canonizat. 2. Octob. Anno 1545. Addit quoque Paris. nu. 57. Mandatum datum post resignationem contra resignatarium non expirare per resignationem secundam factam alteri; siquidem, cum per resignationem primam esset mortuus, constitutio post primam resignationem facta intelligi tamen adhuc potest pro defensione ratione fructuum perceptorum; dum esset in possessione beneficii, & per consequens ad interesse, & sic non censeatur revocatum ratione detentationis. Porro faciendam esse intimationem in revocatione, quæ inducitur ex resignatione, & hujus contrarium esse in revocatione Procuratoris, quæ contingit per mortem Domini; utpote in qua opus non esse fieri hanc intimationem adversario, tradit Paris. n. 54. & 55.

Questio 246. Quid possit resignans quoad percipiendos fructus beneficii resignati post ejus resignationem provenientes & obvenuros, seu ad quem hi spectent?

1. **R**espondeo primò: Dum resignatio nulla sit, v. g. ob nulliter ei præstitum consensum, fructus interim spectant & percipiuntur ad resignantem, Tond. in qq. benef. p. 2. c. 4. §. 7. n. 10. quod ipsum tamen procedere non videtur, ubi resignatio facta nulliter, sustinetur tamen in præjudicium resignantis, seu ubi eâ factâ abdicatur, seu amittitur jus seu titulus beneficii ob rationem paulò post ponendam; quia ubi non est titulus, nec possessio amplius penes resignantem, jure fructus percipere nequit.

2. Respondeo secundò: Factâ validè & perfectâ resignatione non potest resignans amplius percipere fructus beneficii resignati (intelligè obvenuros seu cedendos post resignationem) cum jam amiserit titulum & possessionem naturalem & civilem, Paris. l. 1. q. 6. n. 1. citans C. Paris. conf. 39. n. 3. vol. 4. Rebuff. conf. 22. n. 10. ac proinde, si post resignationem perceperit fructus; cum illos non fecerit suos, utpote carens canonico titulo, ac proinde intrusus, & consequenter desiciendus à possessione, & non tuendus in ea, tenetur illos restituere tanquam possessor malæ fidei, Paris. l. c. n. 3. Hinc jam

3. Respondeo tertio: In resignatione simplicè admittâ, sive à Papa, sive ab Ordinario, ab illo tempore admittâ resignationis, seu præstiti à Superiore consensûs percipere amplius nequit fructus illos; impossibile enim est, quòd fructus ad aliquem spectent, qui non est amplius nec dominus, nec possessor beneficii, unde proveniunt; qualis est resignans post talem resignationem. Paris. cit. n. 10. dicens, in hoc concordare omnes, Gonz. gl. 15. §. 2. n. 42.